

XI. fol. 392. Index Operum magni hujus Viri, verum ob folii unius jacturam ἀκεφαλός, et nunc inchoans: *Item 29^{no} Determinatio questionis An liceat a papa appellare. Et articuli theologie compositi contra petrum de luna, cuius initium: Queritur an hec assertio sit Katholica.* Ita proceditur ad num. 55. et concluditur: *Et tantum de libris latinis. Secuntur acta per eundem in gallico ydionate.* Hic rursus 13. recensentur, et subditur: *Item 14^o Multa alia breuia sunt eius opuscula super diuersis materijs causa breuitatis hic obmissa que tanquam fragmenta ne pereant recollecta et in vno volumine velud in sporta recondita magnum et gratum prebent legentibus profectus solacium. Vltimum Opus quod morte propinquante peregit est Tractatus egregius et subtilis super cantica canticorum (supra N. VIII.) ad fratres karthusienses.* Addit Librarius: *In profesto Nicolai (anno 14) 36^o.* Itaque anno 7. post excessum illustri Exulis et Peregrini, qui Factionem Angloburgundicam fugiens etiam Viennam nostram delatus benigne et humaniter habitus est. Ceterum Catalogum hunc Scriptorum ejus antiquissimum putem, quo tamen uberiorem postea dedit Tritheimius.

XII. fol. 393. p. 2. Codici finem imponunt Adversaria quaedam theologica levis momenti, et improbe conscribilla.

DCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. H. 4 XV. Folior. 194. 4. maj. caractere luculento, atro perscriptus, literis initiorum deauratis, picturatis, titulisque miniatis speciosus praemisso IV. *Librorum Elencho eodem, quem nunc typis expressum habemus, inscribitur: Incipit liber primus fratris thome de kempis canonici regularis ordinis sancti augustini. De imitatione Cristi et de contemptu omnium vanitatum mundi.* Textus per omnes IV. *Libros* conformis est antiquis Editionibus, nec agnoscit illas, si Superis placet, emendationes, quas e *Parisi* a. 1773. 12. longo ordine produxit *Fr. Joseph. Debillionus* ad calcem sui *Thomae, Manheimii* 1780. 8. Singulis *Libris* praefixa est elegans *Pictura*, quarum ea, quae *Librum* I. antecedit, *Thomam* insuper habitu, quem Canonici Reg. magnam partem domi deferre solebant, albo scriptioni incumbentem repraesentat. Ad calcem habes: *Fratris thome de kempis de imitatione cristi deque contemptu mundi deuotum et vtile opusculum finit feliciter.*

II. fol. 184. *Incipit tractatus de meditatione cordis magistri iohannis gerson.* Tractatulus hic saepe *Thomae* adjunctus extat *Opp. Gersonis* Edit. dictae *Antverp.* T. III. P. 2. col. 449. Ad *Gersonem* pertinere vel illud evincit, quod *c. ult.* legitur: *Scripti iam pluries talia — nominatim in tractatulo de Probatione Spirituum.*

Ut

Ut ad praestantissimum *Kempensis* Exemplum redeam, scriptum est, non in charta vaga, quae deperdi possit, ut visum *Raym. Duellio* citato in *Debillioni* memorati *Disputatione* praevia p. 36. sed ad Codicis calcem fol. 194. *Ce liure est a monsieur de moulenbaix Baud. de lannoy. Balduinum* hunc *Lannojum* II. puto *Balduini* I. dicti *Balbi (le Begue)* filium, qui jam a. 1481. inter aurei *Velleris* Equites cooptatus est teste *J. Jac. Chiffletio* in *Insignib. Gentilit. Equit. &c. Antverp.* 1632. p. 54. 4. Fieri igitur potest, ut Codex noster vivo etiamnum *Thoma*, qui annum 1471. ultimum habuit, aut non diu post ejus fata scriberetur. Mansit ille in *Lannojorum* Domo; video enim in fol. praevio notatum: *Ce Liure est de francoise de barbanchon Dame Douagiere (Douairiere, angl. Dowager) de molembaix. Francisca* haec *Barbansonia* uxor fuit *Philippi Lannoji Balduino* supradicto progeniti, mortua a. 1555. quae quidem etiam filium *Balduini* nomine habuit, cujus tamen aetati character *Codicis* manifeste repugnat.

DCLXXXV.

U. 740 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 270. f. per duas columnas non tamen una manu exaratus et rubricis distinctus inscribitur I. *Excerpta de Valerio (Max.) ad theologiam applicanda.* Commentaria igitur habemus in ejus *Libros IX. Dictorum Faetorum-*

que Memorabilium, sed limitata ad illud tantummodo, quod Religioni Christianae adcommodari potest, id, quod *Moralizare* dicebant boni Majores nostri. Initium est: *Urbis Rome exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna &c.* Sciendum quod hic ponentur notabiliora de *valerio maximo &c.* Expositio vero ipsa sic inchoat: *Majores statas &c.* In hoc primo Capitulo libri primi Sciendum quod totus liber *Valerij* habet 9. libros parciales &c. Si modicum in legendo progrediaris, observas Excerptorem nostrum usum fuisse *Declaratione Valerii Max.* conscripta a *Dionysio de Burgo s. Sepulcri* Ord. Erem. S. Aug. exeunte Sec. XIV. quam typis excusam *Fabricius* et *Ossingerus* ignorarunt, Exemplar autem char. lat. eleganti s. l. et a. f. mihi objacens loquitur. Adjecit tamen noster ad calcem *Valerii* eadem ratione moralizatam *Vitam Alexandri, Historiam Trojanam*, Narrationem de capta a. 1095. ingenio *Boamundi Antiochia*, et alteram de *Passagio Friderici I. Imp. in Palaestinam*, ejusque submersione, quam ita concludit: *Nota quod domini non debent singularizare, quia ille imperator noluit ire per viam quam ibat exercitus sed per compendium huius vadi igitur fuit submersus.* Omnia fabellis intricata.

II. fol. 89. Incipit Prologus *Pauli Orosij presbiteri ad Augustinum Episcopum.* Videlicet in *Libros VII. Historiarum*, quos *Vir hic Hispanus, Augustino* et *Hierony-*
mo